# DE MAGISTRATIBUS SUPERIORIBUS DISPUTATIO, QUAM DEO OPT. ADIUVANTE ... SUB PRAESIDIO...

Dominicus Arumaeus, Joachim Bumann, Valenti Gonzaga





*Viris Præstantissimis, Prudentissimis*
*ac integerrimis,*

DN. JOACHIMO Jülen/Reip. Wismariensis Senatori spectatissimo,

DN. NICOLAO Buman/ } Civibus ejusdem
DN. JOANNI Buman/ } Reip. primariis.

Dn. Affini, Patri, Fratri, Patronis & Fautoribus suis omni studio ac officio perpetuò respectivè colendis.

*Hanc disputationem Juridico-Politicam*
*debita observantiæ & gratitudinis tesseram*

offert

Joachimus Bumannus.

# DE MAGISTRATIBUS SUPERIORIBUS.

I.



*Mnium rerum parva, eaq; tenuta esse principia testis est opulentissima experientia. Sic n. natura comparatum, ut etiam megna ab exiguis principiis orta in amplitudinem perveniant: Nam mora dat vires, teneras mora concoquit uvas, Et validas segetes, quod fuit herba facit: Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras, Quo posita est primum tempore virga fuit teste Ovid. 1. de Remed. Quam perfectitudinem si attingunt iterum inclinare & deficere deniq; collabi incipiunt.*

*2. Primum enim præpotens ille Deus mundum ex nihilo creans fundamenta quamvis admodum exigua, maximæ olim futuræ universitatis jecit quando in illum unicum Adamum & postea desumtam ex latere ejus feminam Evam induxit, in quibus societatis primordia esse voluit, solitaria vivendi ratione explosa & rejecta. Qui enim extra hanc societatem vivit, rectè ab Homero increpatur, quod sit sine tribu, sine jure, & quod sit belli cupidus, qui nullo retineri jugo possit.*

*3. Solitarios autem quosdam fecit natura, quosdam fortuna. Fortuna societatis expertes declarat relegatos & deportatos, quibus aqua & igni interdictum: natura autem sunt vel beluæ ut Timon de quo Cic. in Lælio vel Deorum similes, ut aliquando Elias, Joannes Baptista & antiqui Monachi quidam & Philosophi: non homines autem existimari debent, qui hominem exuerint.*

*4. Hanc verò societatem esse à natura ante lapsum Adami Rempubl. verò post lapsum ortam fuisse, illam à natura integra, hanc à corrupta dicimus. Unde exurgit illa quæstio: An etiam*

*aliqua politia futura fuisset ante lapsum humani generis? Quam cum Clarissimo* Dn. D. Gryphiandro, *Præceptore meo singulariter colendo, Disp. Polit. 3. in terminis affirmantibus veriorem esse concludo. Intra enim paradisiacæ amœnitatis circta nullus unquam hujusmodi vel regalis vel despoticus principatus fuisset subsecutus, cum ibi omnium hominum summa libertas animorum consensio fuisset futura, licet politico quodam ordine & ibi prælatio subjectioq; in disponenda & gubernanda multitudine fuisset eventura, non quidem dominandi libidine, sed officio quodam consulendi dirigendiq;.*

*5. Cum verò post lapsum cresceret hominum multitudo, & per consequens etiam vitia, cœpit constitui politia. Ante diluvium quidem primus tyrannus & oppressor proximorum & qui ædificavit civitatem Henoch de nomine filii Henoch. eo loco ubi post Babylon stetit, dicitur impiobus Cain filius Adæ fratricida, qui quia fratri ob invidiam non pepercerat multo minus pepercit natis ex Adamo & eorum posteris, quia eadem superbia illis dominari & repugnantes opprimere, & oppressos & subactos divexare instituit, & qui ex illo descenderunt.*

*6. Primus a. qui post diluvium potestatem & tyrannidem dominandi in invitos adhibuit, armis in finitimos & alios posteros illatis, sacræ literæ testantur Nimbrodum fuisse, Gen. 10. v. 10. 1. Paralipp. 1. Ille enim cives qui ad arma ejus sese contulerant, fortiter hostibus profligatis, defendit, ante ejus grassaturas nullū fuisse imperium politicum constat, licet domesticum non negemus, quod tamen à politico divisas habet rationes. Dictus a. Nimbrodus Saturnus & ejus milites gigantes, qui à Jove fulminibus confecti dicuntur, & in sacris nominatur venator robustus seu venatione potens, id est, hominum oppressor & extinctor. Quod loquendi genus Ebræis familiare latronem significare testatur, Ps. 91. v. 3. nam is inquit à laqueo venatoris absq; peste exitiali te liberabit. Quæ per Metaph. desumta est ex eo, quod bonis & vitæ aliorum insidientur, ut venatores feris & quos ceperint nulla commiseratione moti interficiant.*

*7. Utriusq; autem imperium tyrannidem potius quàm regnum cum Tholosan. 20. de Repub. 1. dicimus. Et magis illud, cùm Cain se subduxerit ab imperio paterno & contra imperium*

*rium & regnum paternum suam potestatem usurpaverit, & à legitimo rege & duce Adamo subditos naturali jure descendentes sibi per vim subjecerit & oppresserit. Nec verò exaudiendus Bodin. qui statuit causam efficientem Reip. vim & cupiditatem imperandi, & confundit Rempubl. imperio quo illa administratur. Hujus enim causa efficiens interdum est vis & cupiditas, illius nunquam.*

8. *Rerumpubl. autem constituo est una coacta, altera voluntaria. Coacta fuerunt initia regni Babylonici, Persici, Alexandrici, uti de hisce testatur 16. Gen. caput. voluntaria regni Romulei secundum Livium lib. 1. & Halicarnass. à quibus dissentit Bodinus de Rep. 6.*

9. *Etsi duce natura congregantur homines, qua homo ad societatem civilem sit factus, adeo quidem, ut etiam cui omnia ad vitæ cultum abundè suppeditent, solitudinē nihilominus aversetur & societatem quærat, ut eleganter Cic. 1. offic. altera tamen causa est communis utilitas idonea ad bene vivendum: & tertia vita ipsa, quæ cum ab omnibus expetatur mirum non est si & ipsa causa sit civilis societatis, utpote cum vita ipsa hac societate conservetur.*

10. *A jure gentium omnia imperia originem suam traxerunt, cum jure naturali omnia erant communia cunctorumq; hominum una & indivisa possessio fuit, quo jure manebat eo tempore cunctis moralibus inconcussa libertas nec quisquam sciebat à consorte suo naturæ obsequia servitutis exigere cap. 6. dict. 35. Unde & placuit rerum conditori, ut occupanti terra concederetur quæcunq; , ut apparet & Deut. 13. capit.*

11. *Ante diluvium v. non ita Deus suam potestatem communicavit, sed solus homines gubernavit, ut plasmator suam creaturam illi præcepta vivendi dedit, prævaricationiq; pœnam inflixit condignam, ut Gen. 2. & 4. cap. in Cham & Lamech historia testatur sacra. Arguebat sane humanum genus in deterius ruens, per sanctos homines increpabat oportunè, & inoportunè uti ex D. Luther. Pref. antiss. Dn. Bortius in disp. de Jure Majest. deducit.*

12. *Cæterum quatuor Monarchias futuras easq; divinitus prædictas ex c. 2. Dan v. 7. & Apocalyps. 13. v. 1. Cum Dressero & Franckenberg. scriptis de hoc argumento integris libris con-*

tra Bodinum qui obstinatè hoc negat in hist. Meth. c.6. esse statuimus & per aureum caput Assyriorum regnum, per argentea brachia & pectus Medorum atq; Persarum, pro ventre & femorib. Græcorum, pro tibiis & ferreis partim fictilibus Romanum & ultimum, quod Christus sanctum vult, quodq; tamdiu quo usq; seculum cum Augustino & Jeronymo duraturum intelligimus.

13. Sex mille porrò annos universam hanc mundi machinam duraturam esse multi affirmarunt, & inter hos eorum numerum de Eversion. Rerump. colligit Tilemannus dum subducit, quod à condito mundo ad diluvium anni sint 1656. exclusivè numerati, quibus si adjecero annos 368. à diluvio ad vocationem Abrahæ integrè explebuntur duo millenarii & superunt 24. anni referendi ad tertium millenarium. Secundus bis millenarius asscribitur legi. Tertius millenarius non vacuitati nec nomothesiæ, sed Messiæ est deputatus. Implebuntur hi duo millenarii anno Christi futuro bis millesimo trigesimo.

14. Quod tempus mundi interitus & extremi judicii cum Christus ipse angelis voluerit esse absconditum & occlusum, à nobis alienum erit, curiosius inquirere & humana ratione, quæ cæca est in cœlestibus rimari. Verum quidem per se est amplectendum, sed non omne, quod dicitur ab hominibus, quorum natum est, ut sint mendaces, Esa. 9. Oppugnat quippè potestatem divinam futurorum indagatio, si ea mente quis scrutetur, ut indubitata ea existimet & certa, tanquam quæ aliter contingere nequeant. Sed & aliunde temerè nimium, si quis, quæ Deus voluit nobis esse abscondita scire desiderat. Nec nostrum est, scire tempora & momenta, quæ Deus posuit in sua potestate. Actor. 1. Solus Deus occultorum, cognitor & judex c. erubescant. 32. dist.

15. Certi igitur nihil concludere possumus, cum omnia sint sub præpotentis DEI manu, qui regna stabilit, & de gente in gentem transfert, terminos ac metas constituit, cuiq; easdem abbreviare & prorogare operosum non est. Cyclum autem imperiorum quingentorum fermè annorum spatio terminari, communiter volunt. Nec tribuenda est aliqua efficacia numeris, sed ut Medici criticos dies, ita Politici numeros

perpen-

*perpendunt. Et quemadmodum S. S. in Psalm. 90. terminari dixit vitam hominus septuagesimo anno, ita vitam Reipubl. septies septuagesimo absolvi. Non tamen inde sequitur absurdissimum stoicorum paradoxum, quod limites nequeant, mutari, sed quod non mutentur, ut Jobus innuit 14. cap. Homo mortalis vitæ terminum non supergreditur atqui indulgentia DEI terminum præfigentis possit trãsgredi nihil addubitandum est. Nonne DEUS vitam prolongavit, Ezechiæ apud Esaiam 38. capit.?*

*16. Romanum autem imperium, ut inquit Eutropius, quo neq; ab exordio ullum ferè minus nec incremento toto orbe amplius humana memoria potest recordari, adeoq; ex minutissimis illis principiis, tàm amplam constituit Rempubl. ut totum exinde terrarum orbem sibi adjecerit, Novell. 24. in pr. à Romulo primo omnium Romanorum rege sumsit exordium.*

*17. Qui narrant historiam Romuli & Reni eos natos geminos referunt ex Rhea sylvia filia Amulei Regis, cumq; disputarent de principatu condendo ad prosequendum & continuadum avitinum primigenii judicium DEO commisisse, quod nescirent uter illorum prior esset editus & auguriorum sorte exitum inde habuisse, ut qui plures vultures pro augurio habuisset, is jus potestatis haberet. Contigisse autem plures Romulo & proinde de suo nomine oppidum inaugurásse. Tholosanus 7. de Republ. 5.*

*18. Quod cum esset à septem regibus grubernatum propter Tarquinii ultimi regis superbiam & stuprum Lucretiæ à filio Sexto inter alia flagitia nocturno tempore per vim illatum, ob quod dedecus castissima fœmina in conspectu suorum semetipsam interfecit. Qua rei indignitate populus Romanus permotus regem Tarquinum una cum filio urbe ejecit auctoribus, L. Junio Bruto, & L. Tarquinio Collatino, qui pudicitiæ Lucretiæ ultores fuerunt. Illud verò deinceps non regali s. despotico, sed consulari potius & politico discrimine administrari cœpit, statusq; imperii mutatus est, deleto omni prorsus regio nomine ac libertate vindicata & recuperata, de nova Reipub. forma cogitarunt.*

*19. Sicuti*

19. *Sicuti regium imperium fuit perpetuum, ita primo ex ordine patricio, penes quos esset universa Reipub. administratio duo creati sunt L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, quibus annuum est demandatum, qui postea quod Reip. consulerent, consules nominati sunt. His omnia jura omniaq; insignia regum contulerunt id modo cautum est ne si ambo fasces haberent duplicatus terror videretur.*

20. *Duo sunt constituti exactis regibus & monarchica denominatione exemplo Lacedæmonum, quod minus injuriosi & molesti putarentur divisa potestate bifariam ambobus eandem vim obtinentibus, utq; alter alterum revereretur & revocaretur à licentia: & quia æmulatio ad virtutis opinionem exæquata potestate maximè nascatur. Annui autem ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent, qui se post annum scirent esse privatos. Sub horum potestate Resp. Romana in immensum augmentari cœpit.*

21. *Neq; diu hoc imperium summum consules retinuerunt, sed Valer. Publicola communicavit Jura Majestatis populo Plutarch. in publ. quæ magis magisq; importuni Tribuni patribus extorserunt, donec in puram Democratiam Respubl. degeneraret. Sed & figura regii imperii sub nomine Dictatoris quodammodo reducta videbatur, nisi quod Dictatura brevis ævi esset & magis precaria. Primus autem omnium creatus est Manlius belli pacisq; rerumq; ceterarum imperator nomenq; ei impositum est Dictator sive propter potestatem jubendi dictandiq;, quod vellet & quæ justa pulcraq; ceteris quemadmodum ei videretur sive ut quidam scribunt propter eam, quæ tunc fiebat dictionem notante Forstero 1. hist. Rom. c. 17.*

22. *Hic à Consule uno interdum ab utroq; nunquam à populo, & si quando à populo diceretur in rebus concipitibus, non Dictator, sed prodictator appellabatur. Placuit autem Dictatori imperium periculosissimis Reipubl. temporibus semestre dari, quod si negotium cujus causa Dictator fiebat citius confecisset, imperio abibat. Nam Æmilium Mamercum idem dies Dictatorem & re benè confecta privatum vidit, quod imperia diuturna sibi displicere testaretur. Hujus, uti dictum, erat magna potestas, adeò, ut ab eo & inprimis optima lege creato provocare minimè licuerit. Unde Liv. lib. 6. Dictatoris edictum pro numine semper servatum.*

23. *Ilti*

*23. Uti regibus adjuncti sunt tribuni celerum, sic consulibus censores, quos dictos putant à censendo, ad quorum censionem populus censeretur. Festus ideò nuncupatos scribit, quod rem suam quisq; æstimari tanti solitus esset, quantum illi censuissent. Duplicem constat fuisse censuram, rerum s. facultatum, & personarum, & binos fuisse censores creatos æqualis tamen & ejusdem potestatis. Hi olim maximam habebant potestatem, & plus imperii, quàm ullus magistratuum: quia poterant senatores ordine movere, magistratum abdicare, & equos equitibus adimere, referente Clariss.* Dn. D. Gryphiandro *in prælect. polit. Sic dictatori quoq; magister equitum adjungebatur.*

*24. Et hi fuerunt magistratus majores, ex differentia majorum auspiciorum, ut explicat Agellius. Sed extincta auspiciorum vanitate, majores verè sunt & dicuntur, quorum major & amplior sit majestas, majus imperium, major procuratio sive rerum administratio, ut in quibus Reip summa est posita domi & foris, in bello & in pace, ut apud Romm Coss. Prætores, Athenis, Thesmotetæ, Areopagitæ, Prætores, quorum quidam fuerunt ratione gubernationis ordinarii, ut præfectus urbis, dictator &c.*

*25. Distincti sunt rursus in ordines secundum diversos titulos, quibus honorabantur à Cæsaribus vel populo. Variatum tamen in illis, & diversa est sententia, vereor, ne ignorantia historiæ, inquit Tholosan. interpretes fefellerit, vel certè tempor ū confusio. Glossa ad verbum post magnificos facit sex gradus vel titulos dignitatis, super illustres quos speculator dicit spirituales & temporales maximos, ut summum pontificem, Imperatorem, Patriarchas, quod supra omnes, quod tamen Cynoni displicet, quod ij supra gradum, & non in gradu sint, neq; nomen illud agnoscit Duarenus c 3. de usuris, de quibus videatur Bodin. 3. de Rep. 3 magnificentissimos, illustres, spectabiles, clarissimos & minimos. Variatum autem sæpè in potestate principali, ut aliquando major aliquando minor fuerit mutatâ sæpius formâ Reip. Tholos lib. 37. c. 14. Syntagm J. V.* Gradus dignit

*26. Accessio magistratuum sub imperio facta est varia, ubi maximè excelluit præfectus pretorio, cujus tale officium volunt, quale olim tribuni celerum, qui secundùm à Principe locum obtinebat l, 2 §. quod ad magist. & §. hunc magis de O. J. magnaq;*

*ejus fuit dignitas propter amicitiam Principum. Ulpianus apud Alexandrum Imperat. ipse præfectus prætorio plurimum potuit. Namq; Alexander nunquam solùm quenquam nisi præfectum suū vidit, & quidem Ulpianum causa justitiæ singularis, quemq; præceptorem parentem suum appellat, l. ex divi. 4. C. de locato. Ab illo nec appellari poterat, nec adversus illum peti restitutio in integrum. Si quem hac dignitate privare volebant, ei lati clavi honorem concedebant, qui est senatoria dignitas. Equites Romani à senatoribus clavi qualitate discernebantur, angustum clavum equites gerebant senatores latum, Pet. Fab. 1. Semest. 2.*

27\. *Maxumam igitur ejus fuisse auctoritatem constat, ut nemini incognitum sit nobile Trajani verbum, quod refert Xiphilinus in vita Trajani: Accipe, inquit, gladium, quo si rectè fecero pro me, si secus contra me utaris. Dignitas verò inferior consulari & patriciatus honore. sed æqualis magisterio militum, urbicariæ præfecturæ, sacriq; cubiculi præpositura. Hi namq; sunt in pari gradu dignitatis, & ille præcedit, qui primo fuit dignitatem adeptus. Ædilitas erat primus ascensus ad amplioris honoris gradum constituta. LL. porrò effectum est apud Romm. ut consulatus ante 42. annum peti ante 43. geri non posset: prætura nec peti ante 39. nec geri ante 40. annum: ædilitas nec peti ante 26 nec geri ante 27. jure possit.*

28\. *Hoc officium cum proximum fuerit post sceptrum, antea ex hominibus militaribus lecti, postea juris scientia hunc locum sibi vindicavit. Intutum enim videbatur viris rei militaris peritis, quamvis tenui origine natis tantam potentiam tribuere. Quare Ulpiani, Papiniani & aliorum industria factum, ut amplissimum hoc munus togatâ potius quàm bellica arte administretur. Mæcenas Augusto suasit, ut ex equitibus tantum eligeret præfectum prætorio, ne quis generis nobilitate fretus, aliquid conaretur adversus Principem. referente Clapm. lib. 2. de Arcanis Rerumpubl.*

29\. *Postquam per variam fortunam & plura magistratuum discrimina populi Romm. jactata fuit inconstantia (modo enim voluit reges, post hos consules, post tribunos militum, deinde tribunos plebis, eosq; annuos, modò Dictatores semestres, modò Impera-*

*Imperatores ) Consulare a. imperium usq; ad Jul. Cæsaris Monarchiam porrectū, Romaniq; jam essent clarißima fama noti, suborta inter eos civili discordia, consulare è post cessavit imperium, Cæsareum incepit, & alterato imperii statu, deinceps in nostra usq; tempora per Imperatores Respubl. gubernata est. Quamvis ille invitis sociis Rempubl. invasisset, & tyrannide imperium usurpásset, attamen ex post facto aliquando populus in ejus imperium consensit. Nec laudem merentur Cassius & Brutus, qui conjuratione ex gravi invidia facta, in senatu cum jus redderet tribus & viginti vulneribus inflictis eum confoderunt, qui & sui facti pœnas dederunt, desperationeq; fracti, semetipsos jugularunt, eis gladiis, quibus antea Julium Cæsarem felicem bellatorem confoderant. Quod & mirabili DEI vindicta ultra triennium omnibus cæteris interfectoribus accidit.*

*30. Sub Augusto, quo natus est Christus, verus Augustus magnus ille & honorabilis Princeps, pater patriæ, & Imperator exercituum summus, pax illa confirmata, & universo orbi aureum seculum redditum videtur, qui primus voluntate Senatus obtinuit imperium, sed in tempus decennii, eoq; exacto, per continuatam decennalem renovationem idipsum permisit, quamdiu vixit, eoq; mortuo ejus successores illud consequuti sunt, ut quamvis perpetui essent tamen singulis annis festum veluti renovati imperii agerent.*

*31. Hi Imperatores dicuntur ab imperando, quod nomen Romani primum illis indiderunt, apud quos summa rei militaris consisteret. Habebant ac eandem auctoritatem quam reges, quamvis sub initio, nondum plenè confirmatis regimentis, aliud simulabant, ac summo studio à regio nomine abstinebant. Dicti itidem Principes. Nam, ut ait Tacitus 1. annal. imperium nomine primatus usurpabant. Unde cum absolutè ponitur de Imperatore aut de rege intelligitur, §. sed & quod Principi placuit de J. N.G. & C. unico v. unde in veteri de sacra unct. Novel. 47. Cæsares à Julio Cæsare qui de matris utero Cæsus erat, vel à Cæsarie, quod comatus, vel à Cæso elephanto, vel à Cæsiis oculis quàm posteriorem denominationem, cum Clariß.* D. Gryphiaudro *Præceptore meo, veriorem esse statuo.*

32. *Augustos dictos volunt, ab augendo, cum diminuendo imperium fiat homicida suæ dignitatis, hocq; cognomen additur ob majorem reverentiam, quod sit reverenter consecratus, sancto augurio, ope Jovis augeatur, & idem est Augustus, quod reverendißimus, quod esset natura hominis acceptior & venerabilior. Augere a. debet eo modo quo honestate & dignitate salva potest. l. 125. de V. S. Alienatores imperii à Waremundo ab Erenberg, vocantur vitrici quo nomine Carol. IV. à Maximiliano I. malè audivit, quem non Augustum Imperatorē, sed dißipatorem appellare solebat, quiq; in tantum imperii bona publica, reditus & vectigalia distraxit, ut hodiè ordinarii reditus vix in imperio tanti sint, quanti spondendis postis & regiis cursoribus s publicis sufficere poßint. Bocerus c. 5. n fin. de regalib.*

33. *Varii & diversi modi fuerunt, quibus imperium acquiritur, ex quibus usitatiores duos recenset Clariß.* Dn D. Gryphiander *in prælect. polit. Electionem & succeßionem. Olim & alius modus obtinuit, videlicet electio per sortem, quæ licet, ut improba damnatur in cap. illud 26 quæst. 2. in quibusdam tamen casibus admittenda. Narrat Appianus de bello civil. post mortem Julii Cæsaris cum essent discrepantes sententiæ in senatu de remunerandis interfectoribus sortes tradendas postulatum fuisse. Distributæ partes terræ Israelis per sortes Num. 33. Joh. 15. missis sortibus manifestatum peccatum Jon. 1. sortibus quoq; detectus, qui ex anathemate sustulerat Josuæ 7. ut & iisdem Jonathæ prævaricatio 1. Reg. 14. c. 26. q. 1. His electus in Apostolum D. Matthias Act. 1. Cujus modi autem sortes cum Deo auctore instituantur, non dubium est, quin Dei etiam providentia administratæ fuerint.*

34. *Electione autem Imperium Romano-Germanicum ab antiqua consvetudine deferri notißimum est, ubi tamen hoc observandum monet Clariß.* Dn. D. Gryphiander, *ut electio familiam antecessores non egrediatur ad alios extraneos propter honorē & benemerita majorū, nisi necessaria causa subsit. Quodq; videmus in Austriacorum archiducum familia feliciter ultra 160. annos observatum & conservatum fuisse, attestante Clariß. Dn. D. Besoldo lib. 2. Diß. 1. nec illis propterea ullum jus est acquisitum, quia judicium electorum, non domus dat imperium cum electione liberrima defertur.*

35. Quod

35. *Quod Monarchicum dicimus cum Clariß.*Dn.D.Gryphiandro *nec exaudiendus Bodinus qui* ἀξίωμα *Monarchiæ ultimæ ideo deberi negavit, quod Aristocraticum statum amplexi Germani, & suis popularibus Galliæ regnum absolutißimum persvadere voluit 1. de Rep. 8. Cum tamen Gallia imperio subesse debet respectu Romani imperii antiqua dignitate, non moderni status. Unde Bartolus & hunc sequutus Alciatus imperatoris potestatem adeò verbis amplificant, ut & regem Francorum imperii Germanici subditum esse scribant. Cum eodē verò nec ullam mixtam Rempubl. accipimus, contra illos, qui Imperium Romanum dicunt esse Monarchicum Aristocratico mixtum.*

36. *Ille est eligendus, qui bonum publicum regniq́; gloriam, pacem & concordiam semper tueri visus est, qui privato regimine læserat nullum qui victor frequentior in bellis, qui totius populi justè vivendo favorem fuerat sortitus. Videmus verò eos, qui præclaris à Deo ornati sunt donis ad imperandum regendumq́; quodammodo natos: quo sensu Jason dixit, se obedire non posse, quod ad imperandum natus esset, ut esurire & fame necari se diceret, ubi non imperaret. Cui accedit Plato 3. de ll. imitatus Hesiodum, qui tria facit hominū genera quorū statim primo ab ortu DEUM aurum instillare, cujus generis Principes esse vult. Secundo argentum, cujus generis adjutores. Tertio æs & ferrum cujus generis reliquos cives & opifices. Ut & Ovidius canit de Herculis heroica indole: Ingeniū cœleste suis velocius annis, surgit & ingratæ, fert mala damna, moræ. Suo quodammodo testatus est exemplo Carolus V. cujus effigiem, cum esset puer octo annorum Lucas egregius & decantatus nostris pictor exprimere volens, picturamq́; ordiretur, ipse ad diversa loca respiciebat, ut solent pueri ibi Præceptor, qui ejus indolem norat, dicebat eum mirifice delectari aspectu teli, jussitq́; ad parietem adversum collocari egregiè fabrefactum telum à quo cum non deflecteret oculos, pictor feliciter picturam absolvit.*

37. *Eos porro, qui Reipubl. præesse volunt Aristoteles instructos esse vult amore erga Remp. scientia & usu, virtute deniq; probitate, justitia congruente Reip. formæ. Inprimis verò in pietate quæ fundamentum esse debet omnis principalis institutionis est informandus. Deinde ad studia Philosophica non illa subtilia*

*quæ doctiorem solùm faciunt rarò meliorem sæpè etiam improbiorem. Studia igitur Philosophiæ Theoreticæ amænitatis causa delibare potest, secundùm illud Neoptolemi Ennianī Philosophandū paucis esse, nam omninò non placere. Inprimis verò mathematica curare debet, quia necessariū est Principi regiones, populos, regna, provincias, transitus, portus in animo descripta habere.*

*38. Nec moveat, quod de literis sit diversum judicium, quas ab Aulis ad Scholam redigunt, q. non deceant regium animum & generosum, veterumq; sit judicium, quod qui in Scholasticis studiis consenescant ad publica officia minus sunt idonei. Unde & Sfortia adeo literarum expers fuit, ut nec pingere quidem literas potuerit hac allata excusatione, quod qua manu pilum ac ensem tenere didicisset, eadem stylum ac calami ductiones tractare nequivisset. Econtra Carolus IV. eo usq; in literarum cognitionem pervenit, ut primus Cæsarum nonnulla Evangelia scripto interpretatus sit, teste Amplissimo* Dn. Præside *in Prælectionibus Aureæ Bullæ.*

*39. Ingenia verò calida, qualia sunt hominum istorum subtilium & speculatorum minus usui esse Reipubl. inter alias hanc afferens rationē Lipsius, quia potius res applicant suis cogitationib. nec cogitationes rebus ac proinde disputare quidem norint, sed non persuadere, unde ægrè inveniant, cui insistant. Quia cogitationum variarum subinde & subinde corripiantur fluctibus: & qui à Philosophia proficiscuntur, solent esse tyranni, de quibus Crates velut ex satureia nemo lanceam conficere poterit, ita ex Socrate nullum strenuum militem. Notatumq; est acutioris atq; subtilioris sensus homines, ut plurimùm infelicius, pejusq; Rempubl. administrâsse, quam eos, qui mediocri ingenio præditi altius sapere abstinuerint. Quemadmodum a. optimo, tum ad animi, tum ad corporis constitutionem temperamento sunt sanguinei, ita eos præferendos esse censent. Bodinus optimos dicit Cholericos, cum quo consentit Clariss.* Gryphiander.

*40. Cum autem difficile sit cognitu intra quos limites regia omnis potestas consistat, quam alii immensam dicunt, quæ nec ll. ullis, nec tempore definiatur: alii exiguis admodum terminis eam includunt, operæ pretium facturus sum, si eam paucis delineamentis notisq;, quibus ad hanc rem instructus esse debeat Princeps rudi Minerva describam.*

*41. Reli*

41. *Religionem primariam esse causam conservantem Reipubl. imò fundamentum & propugnaculum testatur Plato lib. 4. de Rep. In omni v. Republ. curatio rerum divinarum est summa. Unde Cyrus Rex optimè arbitrabatur, si omnes sibi familiares & subditi DEI metuentis essent minus eos aut inter se aliquid illiciti aut in ipsum commissuros. Nec quenquam eligi magistratum vult Plato 3. d.ll. nisi pius extiterit & divinis operam studiis dederit. Hæc veluti victrix Dea frænum injiciens potentiæ humanæ cohibensq; ne ulterius progrediatur, quàm lex divina patitur, quæ si integra maneat nihil prohibet, nonnunquam à communi jure recedere pacis ac quietis causa Clapm. lib. 4. c. 1. de Arcanis Rerumpub.*

42. *Pariter Theologorum & JCtorum sententia est non cogendam, sed doctrina potius ac prædicatione divini verbi hominum mentibus instillandam esse religionem, secundum illud filii DEI, sinite pariter utraq; crescere usq; ad tempus messis, Matth. 13. fides voluntatis est non necessitatis. Et Theophilactus, non quod fidei vestræ imperem, quæ voluntaria est. Quis enim ad hanc invitum quemquam cogat & nolentem, Actor. 15. v. 10. Matth. 28. Animus enim, ut inquit Philippus Camerar. nobilißima hominis pars & auræ divinæ igniculum præsertim Evangelica luce illustratum nullis bellorum ærumnis premi, nullo fidicularum aut equleorum genere cogi potest ad ea dogmata suscipienda, quæ vel à ratione vel divinis scriptis aliena judicet.*

43. *Cumq; sola divinitas interiora cordis agnoscat perscrutetur & judicet. Solus n. rex illum quem nuptiali veste minimè indutum internoscebat foras ejici jußit, non ministri, quib. satis erat ad epulum regium convivas vocâsse, inq; eo belle officio suo perfunctos fuisse, quibus nihil aliud mandatum, quàm invitate, vocate nemini non manifestum est. Quemadmodum Christus ipse inquit, sicut misit me pater, ita & ego mitto vos ad prædicandum veritatem, non v. ad occidendum, Act. 15. v. 10. Matth. 28. Qui Petro dixit, Pasce oves meas. Cui alienissimam juxta ac crudelißimã Baron. in vot. ad Paulum V. adjecit interpretationem, pascendi verbo vitæ & necis potestatem venire, dictitans mitis ingenii sacerdos juxta illud, quod alibi Petro dictum, surge & macta, Act.*

*Fides ex auditu est, non à violenta coactione & defendenda est religio non occidendo, sed monendo, non sævitia, sed patientia, non scelere sed fide.*

44. *Ut autem unus est verus Deus, ita una tantum vera religio in Ebræa Ecclesia & deinceps post Christi adventum & adhuc apud eos, qui ab auctore suo non tam dicuntur, quam unicè pendent. Hæc tribus maximè notis est insignis, nempe vero DEO, divina lege, & salutis mediatore, quibus accedit & hæc, quod sit antiquissima. Antiquitas v. nusquā alibi deprehenditur quam in scriptis Propheticis, ad quam ipse Dominus quem pater è cœlis audiendum pronunciat, provocat, cum dicit ab initio non fuit sic Lucæ 9. scrutamini scripturas, illa est, quæ de me testatur Moysen & Prophetas audiatis Lucæ 16. & 24. Bemb. part. 1. cap. 13. Papistæ religionem Lutheranam novam appellant & nuper natam, dubiam esse & incertam cavillantur. Nihil verò novi in ea deprehendent, si modo veterem illam Pauli concionem agnoscere voluerunt Jesum Christum mortuum esse propter peccata nostra, resurrexisse propter justificationem nostram, Rom. 4.*

45. *Iidem scripturam sacram quæ scriptis Propheticis & Apostolicis continetur esse cereum nasum, qui in multas formas possit transmutari, & esse cothurnum & materiam litis perpetuam clamitant. Omnes v. qui Papam superiorem non recognoscunt consiliis, scriptis, sermonibus, sunt oppugnandi & auxilio brachii secularis, hoc est, igne & gladio prorsus è medio tollendi. Confirmant hoc ex Johannis Evang. 15. ibi si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent. Hæc Bemb. part. 1. c. 9.*

46. *Judicium de Religione suscipiant viri docti & sacrarum literarum periti, qui Ecclesiæ Dei sunt præfecti & solius verbi divini ductum sequuntur. Apud Turcas & Moscos capitale est de sacris aut religione disputare: Rationem reddit Sysinnus, quod disputationes hæ non solùm non tollant, aut reconcilient schismata, sed hæreticos præterea magis ad contentiones accendant. Noxiæ speculationes & quæstiones, auctore Alciato, in divino cultu, publicoq; statu possunt, quod canis in balneo quæq; magis concordiæ publicæ quām officiunt prosunt. Causam a. cur parum proficiatur velitationibus theatricis ac synodicis potissimum eam esse refert*

Piccart.

*Piccart.5.decad.4.quod plerique non tàm Christi gloriam fratrumque salutem spectent, quàm honori suo consultum velint.*

*47. DEUS verò ostendit in Moyse & Davide quam non sint inepti etiam viri Politici ad res sacras tractandas, ne soli sacerdotes id sibi peculiariter tribuant, ipsis enim non minor cura est subditorum. Quamobrem ferenda est religio, quam sine Reip. interitu Princeps auferre non possit. Salus enim populi suprema lex esto: & præstat habere aliquam Rempubl. quàm nullam, neque Theologorum rixis aut logomachiis moveri debet, sed autonomiam æqua lance foveat, verum esse sententiam omninò sibi persvadeat Catharina Medicea, licet in ea nihil veri, sed fucata omnia dum viveret, quam moriens Henrico Regi filio dictâsse dicitur: facilius esse Theologos certare verbis quàm reges gladiis, tutiusque contendere verbis, quàm pugnare manu. Est enim referente Seneca in Epist. quædam ingeniorum scabies, ut omnes disputare malint quàm vivere.*

*48. Cautum est, ut pacem colant omnes imperio subjecti, & propter diversitatem religionis nullicuiquam molestia creetur, exemplo Christi, qui ipse versatus humanissimè cum hominibus à religione Judaica & Christiana alienis, cum Samaritanis, Publicanis, Pharisæis. Deinde, ut ratum & firmum illud sit, quod de pacandæ religionis modo, communi ordinum consilio & interveniente Cæsaris auctoritate super dissidio isto, placidis, piis, & æquis rationibus componendo, decretum fuerit, teste Sleidano lib. 14. Sub quo non contineri autumo reformatæ religioni uti audire volunt addicti.*

*49. Non solùm autem pietate, sed & Justitia Principes Dij fiunt, quibus tanquam priori luce & irradiante sidere reliquæ virtutes in ipsis corruscant. Poëtæ fingunt justitam nunquam à latere Jovis divelli, ut demonstrent Principibus, quibus cura populi esset credita, ne latum quidem unguem discedere à justitia licere, omniaque illorum facta dictaque cum justitia congruentia con-*

*joribus ornamentis gentem aliquam afficiat quam Justitia.*

*50. Hujus faciunt duas species, distributivam, quæ ordinat personas, quibus decernit præmia & pœnas Proportione Geometrica. Circa hanc enim pro dignitate personarum, non æquali portione facienda est distributio honorum, agrorum, aliarumq; rerum, quæ inter cives è publico soleant partiri, mitiusq; puniuntur nobiles, & qui in aliquâ dignitate sunt constituti, cum nec vinculis publicis contineantur, nec summa ll. severitate tractentur, quibus tamen lex in genere & in abstracto citra aliquem personarum & rerum complexum, & sine προσωποληψίᾳ pœnam dictat Arithmetica proportione, & ex lege talionis eam commensurat delicto: Et commutativam, quæ tanquam trutina in contractibus & commerciis hominum adhibetur.*

*51. Cum Principis sit justitiam administrare non temerè admittat monomachias & duella, quæ vitiosa quadam consvetudine vel fortitudinis ostentandæ vel honoris tuendi ergo suscipiuntur, jure tamen divino & humano prohibita. l. unica. C. de gladiat. l. unic. c. ut armorum usus Novell. 56. c. monomach. 2. q. 4. Nulla enim hic est defensio, sed ultio, quæ in jure & sacris literis severè est prohibita, Levit. 19. Deut. 32. l. si ex plagis. §. tabernarius. ad l. Aquiliam, neq; fortitudo, sed muliebris mollities, Nov. 69. non enim fortis temerè, sed cum consilio quævis pericula adit, & tantùm justa & honesta, & Reip. utilia, nec singulis est concedendum, quod per magistratum fieri debet, ne occasio sit majoris tumultus, l. 156. ff. de R. J. Duplex autem illa pugna fuit equestris & pedestris, talisq; forma & modi quo conventum erat inter pugnaturos, vel ab illis, qui monomachiæ præerant.*

*52. Provocatum verò, si provocantem interimat, volunt excusare à pœna homicidii ordinaria, quoniam indulgendum est ei, qui provocatus ulciscitur, præsumitur enim quicquid facit provocatus, potius id facere ad defensionem sui, quàm ad offensionem. Calor & justus dolor iracundiæ pœna ordinaria eximunt & rem ad arbitrium judicis deferunt, l. quicquid calore. ff. de R. J. & mitius cum eo agendum, qui provocatus se ulcisci voluit, l. qui cum major. §. si libertas. ff. de bonis libertorum. Tertullianus verò inter provocantem & provocatum nullum facit discrimen in casu homicidii, quid enim refert inter provocantem & provocatum, ni-*

si quod

*si quod ille prior in maleficio deprehendatur, ille posterior, tamen uterq; læsi hominis reus: domino nulla in maleficio ordinis ratio est nec locus secernit, quod similitudo conjungit. Plerumq; autem fieri videmus provocantem temeritatis suæ pœnas dare & in pugna occumbere.*

*53. Permittere potest tempore belli, ubi duorum pugna dirimi & averti potest pugna multorum, sicuti Curiat. & Horat. singulari congressu diruptũ bellum inter Rom. & Albanos. Item David opilio adolescens eximia virtutis indole præditus armiger Saulis, qui rebus Israelitarum valdè dubiis Goliathem, inusitatæ magnitudinis hostem conviciis armisq; provocantem Judæos, nudus, inermis baculo fundaq; pastorali solùm usus, singulari certamine adolescens adhuc prostravit, & Israëlitis suis animum persequendi Philistæos hostes reddidit. Item Treut. 1. vol. 32. dicit eo casu si judicis aut conviciatoris in judicio copia non datur, quo casu conviciantem etiam provocare licitum est, adducens dictum, Psalm. 113. qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum.*

*54. Solent Impp. duriores casus & tristiorem fortunam, ut ipsis ingenitum, imperatoria humanitate mollire, qua de supplicii rigore ex mente legis aliquid remittunt. Cum solius Principis sit ll. rigorem æquitate temperare, l. 1. C. de ll. exemplo supremi Principis, qui hac ipsa potestate pœnæ gratiam faciente usus legitur, Num. 24. v. 32. 2. Reg. 11. v. 13. & Achabo 2. Reg. 21. adulteræq; pœnitent i ignovit, vade, inquit, & noli amplius peccare, Joann. 8. v. 12. In terris verò, quoniam Dei vicem gerunt Principes & Reges summi illius Regis exempla imitari posse videntur, uti & eam omni ævo potestatem usurpâsse in manifesto est, Genes. 40. v. 20. Novell. 77. & 141. Sed eam permissam, sibi ne credant Principes, nisi ex causa justa & probabili, nisi præjudicium Justitiæ & Reip. facessat c. regum officium, 23. q. 1. nisi per illam remißionem injuria privato non inferatur. Hinc fieri posse putamus, ut hoc modo homicidium pecuniaria pœna puniatur, c. 2. de dilect.*

*vi conductus sive pacis publicæ reis dare.*

*55. Magnum clementiæ est signum asylorum constitutio, quæ aperire debent honestatis ratione, & humanitatis intuitu, iis solùm, qui casu per imprudentiam in aliquod infortunium inciderunt. Nec recipiendus reus, antequam rationes magistratui exposuerit. Evelli jussit Salomon à cornu altaris Joabum, & interfici, quia proditor Majestatis fuisset 3. Reg. 2. Deut. 19. Num. 35. Rapiatur ab altari & digno supplicio subjiciatur scelerosus, Exod. 21. v. 14. 1. Reg. 2. Etenim legis auxilio digni non sunt, qui in legem peccant, l. auxil. de minor. Cumq; Reip. interest delicta punire neq; consvetudo, quæ dat occasionem delinquendi servanda est, l. convenire de pactis dotat.*

*56. Romulus cum initiis surgentis Romæ asylum quoq; aperuit, quod templum pacis nominabat multis concessis gratiis, pro cujus numinis reverentia omnem sceleratum ad ipsum fugientem reddebat immunem. Ideo Satyricus appellat in fame asylum. Illa autem ratio videtur magni momenti esse, quod non tantùm Rempubl. suam hisce gentibus roboravit, verum etiam inconditam multitudinem honestis ll. ad societatem civilem traxit atque composuit. Clapm. lib. 4. c. 5. de arcan. Rerump.*

*57. Quemadmodum viri Principis est justitiam tueri, ita pœnarum irrogationem magistratibus & judicibus relinquat, præmiorum largitionem & dispensationem sibi reservet, quæ hoc modo multo gratiora efficiuntur. Magnificentiam quippè & dignitatem nihil magis conservat, quàm aliis largiri & dare. Unde Fridericus III. Imperator dicere solitus est, etsi decem millia quotidiè adversus Imperatorem ingrati sint, tamen Imperatori quotidiè benefaciendum. Quanquam v. gloriosius sit civitatem replere beneficiis, quàm trophæis, attamen oportet, ut in terminis justitiæ consistat liberalitas. Nec est liberalis, qui dat indifferenter, sed qui rectè discernit inter accipientes.*

*58. Fides porrò justitiæ fundamentum & humanæ societatis nervus, quo inciso, illam interire necessum est, homini præsertim Principi, adeò necessaria quàm sol in mundo est. Hanc fallere gravibus est grave, gravioribus, gravius, gravissimis, qui aliis exemplo sunt gravissimum, inquit Baldus: nec exaudiendi, qui jus, fidem, candorem, integritatē esse privata bona, qua juvat*

Reges

Reges ire, eant, fidem hactenus colant, qua ipsis expediat. Sed ô muscæ Beticæ, id est, consilia punica, ait Kirchnerus lib. 2. cap. 1. in Morvill. Fidei enim & probitatis opinione detractâ, quisq; invisior & suspectior erit, quo versutior & callidior extiterit.

59. Laudatur gloriosum Caroli V. verbum, qui inquit, etsi toto mundo fides exulet tamen apud Imperatorem eam consistere oportet, cujus fides tantùm valere debet, quantum aliorum hominum jusjurandum. Vox Principis instar oraculi esse debet, unum habens calamum & unam linguam & immobilis, sicut lapis angularis & polus in cœlo secundum Baldum. Quid fœdius perniciosiusvè, aut esse aut fingi potest perfidioso Principe? qualem fuisse Severum perhibent, qui vafro ac fallaci ingenio jusjurandum pro nihilo ducebat. Quid porrò magis infuscat Annibalis virtutes, quàm perfidia? Apud quem, ut scribit Liv. lib. 21. nullum jusjurandum, nulla religio valuit.

60. Fides oritur ex verbis & promissis, quibus & Princeps jure divino obligatur, Genes. 15. v. 8. Hebr. 8. v. 8. Sic habetur exemplum Davidis cum subditis suis, 2. Sam. 2. v. 21. nihilq; tàm naturali æquitati consentaneum quàm quæ placuerunt servare. Quæ & obtinent in fœderibus, nec simpliciter probandum est dictum, illos esse loco & conditione deteriore, qui fœdus servarent. De hæretico dissentiunt Canonistæ & notum est exemplum Joannis Hussi, qui contra fidem publicam ab Imperatore Sigismundo datum combustus est in concilio Constantiensi. Si inquit Bodin. 5. de Rep. 6. Heretico & infideli fidem frangere fas est, dare nefas sit: Si verò fidem dare jus est dat tam servare oportet.

61. De latrone & hoste dissentit Baldus, quod jurigent. quo fides & pacta nituntur, est contrarium. Inprimis a. erit servandum, si juramento fuerit confirmatum quale fuit, quod Josua cum Gaboanitis contra ll. iniit, cujus violationem DEUS gravißimè punivit Jos. 9. 2. Sam. 21. 2. Chron. 26. Dissentiunt aulapontificiæ assentatores, qui fœdera auctoritate Pontificia everti, subditosq; à re-

*illud Mauritii Electoris Saxon. dum ad Carolum V. Imperatorem: at ego inquiebat te tanquam Imperatorem, non tanquam JCtum & legistam volo pactiones & fœdera interpretari.*

*62. Harum omnium virtutum Directrix est prudentia, quæ paratur insigni experientia, qualis in Philippo Comminæo fuit, qui totos triginta annos à Rege Ludovico XI. & Carolo IIX. ejus filio legationibus obeundis & summis negotiis gerendis adhibitus est, Maximiliano, item Burano & aliis: vel longa ætate, qua Nestor sapere didicit, vel multarum gentium & provinciarum cognitione, quæ Ulyssem æternitati consecravit, vel literarum studio & historiarum cognitione, qua ratione Socrates & Solon in animis hominum sui memoriam reliquerunt, vel conversatione cum sapientioribus. Nulla enim res magis induit animos honestos & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora & vim præceptorum obtinet, frequenter aspici, & frequenter audiri. Senec.*

*63. Politici verò s. prudentes dicuntur, qui in humana societate ad DEI gratiam & mutua commoda cuncta dirigunt: ad quas non referuntur hujus seculi cothurni, hypocritæ & simulatores, qui aliud ore aliud corde occultant, vel qui animi incerti hinc & illinc fluctuant, nulla certa fide stabiliti, quos sacræ literæ viros duplici animo appellant. Hi si essent Politici dicendi, majorum esset eorum proventus, quàm magistellorum, qui in Scholis plorant, & ternas docent, ut refert Clariss.* D.Gryphiander *in Disp.polit.1. Vulgò verò hanc prudentiam unicè tanquam solis filiam cum Ulysse amplectuntur, quæ in argutia, in fraude, in dolo, in diffidentia, in simulatione & dissimulatione omnes suas vires virusq́; ostentat. Kirchn. in Morvill.*

*64. Hanc esse propriam virtutem imperantis dicit Aristoteles 3. Pol. 1. licet ad omnes res utilis sit prudentia, tamen ad imperium maximè conducit, cum illud sine ea non solùm firmum fit, sed etiam nullum, ut testatur Lips. 3. pol. 3. Maximè verò perspicitur in rebus gerendis, legibusq́; ferendis, in quibus reges oportet esse Monasyllabos: Rex enim & lex jubeant, non disputent. non Asiaticam, sed Laconicam orationem commendent, paucis verbis multa comprehendant, & sic videantur plus intelligere, cui nec vociferatio & verborum intemperantia, ut refert Senec. lib. 1.*

*lib. 1. de Clem. c. 3. ex Majestate est. Quo nomine commendatur Carolus V. quem natura taciturnum sæpiusq; cum DEO quàm hominibus loquutum perhibent.*

*65. Duplex autem est prudentia Togata & militaris. De quibus magnus est Dd. conflictus utra sit præferenda. Dicimus cum P. de Andlo lib. 2. c. 13. in artibus militaribus miles Doctori & Doctoreis, Doctor militi est præferendus, in artibus verò indifferentib. Doctorem militi præferimus: Magis enim Reip. utiles videntur ll. quàm arma, cum leges tanquam digniora disponant, arma autem disposita exequantur. Unum alterius auxilio semper eguit, in omniq; benè constituto regno necesse est arma per ll. dirigi, ll. per arma tueri, neq; viribus aut velocitate aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia, inquit Cic. lib. 1. de senect. malleq; se habere vires ingenii Pythagoræ quàm corporis Milonis, secundùm ejusdem triumphalem versum, cedant arma Togæ, concedat laurea linguæ. Natura quippe togata virtute bellica est præstantior, illa per accidens Reip. temporibus postulantibus, ut togam & pacem restituat operis & laudis majoris habetur. Kirchner. disp. ultim. de Republ.*


*66. Quos mores afferre debeat Princeps eligendus, & quibus virtutibus instructus, ne concessa sibi abutatur potestate vidimus, considerabimus jam gentem è qua desumendus potissimum Rom. Imperator, quia inde non minus periculi. DEUS mandat Israëlitis, ut magistratus è numero fratrum eligant, neq; Rex constituatur, qui alterius sit gentis, Deut. 17. & de gremio Ecclesiæ eligendus est Episcopus, etiamsi alibi digniores reperiantur, c. nullus distinct. 61. c. metropolit. dist. 37. Existimat Imperat. l. 31. §. 21. de ædilit. edict. quasdam nationes sceleribus infamatas, quasdam virtutibus conspicuas esse. Quam sententiam etiam Salvianum Massiliensem approbare constat, is quippè Gothos perfidos, sed pudicos, Francos mendaces, sed hospitales, Saxones efferos crudelitate, sed castitate mirandos, Afros omnibus vitiis nobilitatos*

*quidem pronos, sed in ea inconstantes. Et quia sunt placidi & mites talem sibi quoq; esse Regem desiderant. Sicuti Angli turbulenti, rebelles, homicidæ Principum saltem ex majori parte. An v. à Principibus an à subditis hoc acciderit certè historiæ detegunt. Ab utrisq; si sunt ejusdem populi. Unde abiit in proverbium Anglus & Scotus tyrannicè imperat, societatē socii prodit, & pars servus infideliter servit. Tholos. 11. de Republ. 6. nu. 17. In Anglia teste Comminæo intra annos 36. octoginta regiæ stirpis Principes mutuis cladibus ceciderunt. Abstineat autem quisq; ne temerè de moribus populi judicium ferat, ne audiat illud, Gen. 19. v. 9. ingressus es, ut advena nunquid, ut judices.*

*67. Sicuti & quandoq; fieri videmus, ut maximæ Principum familiæ aliorumq; peculiaribus virtutibus, vel vitiis sint insignitæ & sua habent πάθη hereditaria: Bruti constantes dicebantur Fabii patriæ amantes, Scipiones ambitiosi & bellicosi, Claudii superbi, Lælios passim hilares commendant Romanæ histôriæ scriptores Hortensios plerosq; eloquentes. Unde Hortulus apud Tacitum eloquentiam gentile domus Hortensiæ bonum nominat. Sicuti & signa gentilitia, ut Regum Galliæ, quibus plerisq; Historici tribuunt vim curandæ strumæ. Piccart. 1. Decad. 7. Principum Scaligerorum (quorum familiam mille & ducentos stetisse annos) duo lumina, in quibus mortalitas corpora abolevit, ut beatissimæ mentes cælum, æterna nominis gloria relicta post se repeterent. Sicuti & quidam Principes sua habuerunt cognomina: Phocio bonus, Aristides Justus, Antonius propter clementiam Pius, Tiberius propter nimiam vini aviditatem & bibacitatē, qui Flacco & Pisoni, quod secum biduum continuum potando consumsissent provincias & præfecturas præmii loco contulit, Biberius dictus. &c.*

*68. Et sic nobis sit constitutus Princeps, quem in seipsum retrogradum cupimus, ut semet cognoscat, tùm dignitatem quā gerit. Nam ipse non est dignitas, sed agit personam dignitatis. Neq; in Principibus, tàm personam singularem reveremur, quàm Majestatem DEI & imaginem potestatemq; consideramus ex parte illius, cujus delegati sunt, cujusq; in terra partes gerunt. Proinde ejus voluntatem pro lege habemus, si justa sit, non quia ipse vult, sed quia justum Rex velle creditur, eumq; solemnitatibus*

*Juris*




vide in dua post seq. disput.